



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Vtrum concupiscibilis sit magis corrupta, & infecta quàm irascibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

Ad viii. Dicendum, quod virtus moralis est in viribus sensualitatis, in irascibili & concupiscibili, ut patet per phil. in 3. Eth. ubi dicit quod temperantia & fortitudo sunt irrationabilium partium: sed quia sensualitas nominat has vires quantum ad inclinationem naturalem sensui, quae est in cōstatium rationi, & non secundū quod participant rationem, ideo magis proprie dicitur quod virtus sit in sensualitate & virtus in irascibili & concupiscibili: peccatum tamen quod est in sensualitate virtuti non contrariatur, unde ratio non sequitur.

Ad ix. Dicendum, quod omne peccatum imputatur homini in quantum habet voluntatem: & rñ peccatū dicitur esse aliquo modo in illa potentia, cuius actum contingit esse deformem.

Ad x. Dicendum, quod materiale in peccato mortali potest accipi tripliciter. vno modo, sicut obiectum est materia actus, & sic materia mortalis peccati quandoque est in sensualitate, ut cum aliquis consentit in delectationem sensualitatis. Alio modo, sicut actus exterior est materialis respectu interioris actus, qui est formale in peccato mortali, cum actus exterior & interior sint unum peccatum. & per hunc modum actus sensualitatis potest se habere materialiter in peccato mortali. Tertio modo, materiale in peccato mortali est cōuersio ad bonum commutabile sicut ad finem: formale vero auersio a bono incommutabili, & sic id, quod est materia le in peccato mortali, non potest esse in sensualitate, nec sequitur si peccatum mortale non potest ibi esse, quod non sit ibi veniale ratione praedicta.

Ad xi. Dicendum, quod peccatum dicitur esse in sensualitate, non quia ei imputetur: sed quia per eius actum committitur. Imputatur autem homini in quantum actus ille in eius potestate consistit.

Ad xii. Dicendum, quod membra exteriora sunt tantum mota, vires aut appetituae inferiores sunt mouentes ad similitudinem voluntatis: unde in quantum participant aliquantulum voluntatem, possunt esse subiectum peccati.

Ad xiii. Dicendum, quod duplex est dispositio. una qua patiens disponitur ad recipiendū formam, & talis dispositio est in eodem cum forma. Alia dispositio est qua agens disponitur ad agendum, & de hac non est verum quod sit in eodem cum forma ad quam disponit: huiusmodi autem dispositio est veniale quod in sensualitate est, ad peccatum mortale quod est in ratione. nam sensualitas est ut agens in peccato mortali, in quantum inclinatur rationem ad peccandum.

Ad xiiii. Dicendum, quod actus fornicationis quamuis sit propinquior concupiscibili quam rationi, quantum ad rationem obiecti: est tamen propinquior rationi quantum ad rationem imperii. nam membra exteriora non applicatur ad actum, nisi ex imperio rationis. unde in eis potest esse peccatum mortale, non autem in actu sensualitatis, qui iudicium praeruenit rationis.

ARTICVLVS VI.

Utrum concupiscibilis sit magis corrupta, & infecta quam irascibilis.

Extro queritur, utrum concupiscibilis sit magis corrupta, & infecta q̄ irascibilis. & ut quod non corruptio, n. & infectio humane naturae ex peccato originali uenit: peccatum aut originale est in essentia animae sicut in subiecto, ut a quibusdam dicitur, propter hoc quod ipsum anima cōtrahit ex coniunctione sui ad corpus, cui per essentiam suā coniungit. cū ergo essentiae aīa oēs potentiae

A equaliter appropinquent, ut pote in ea radicata, ut quod infectio & corruptio non magis in concupiscibili, quam in irascibili & alijs potentijs sit.

¶ 2 Præ. Ex corruptione naturae in nobis est quadā inclinatio ad peccatum; sed peccata irascibilis sūt grauiora, quam concupiscibilis; quia secundum Gregoriū spiritualia peccata sunt maioris culpa, quam carnalia. ergo magis est corrupta irascibilis, quam concupiscibilis.

¶ 3 Præ. Ex corruptione naturae in nobis contingunt subiti animae motus; sed motus irascibilis uidentur esse magis subiti quam concupiscibilis; irascibilis enim mouetur cum quadam uirtute aī, concupiscibilis autem cum quadam animi molitie. ergo irascibilis est magis corrupta, quam concupiscibilis.

¶ 4 Præ. Huiusmodi corruptio & infectio de qua loquimur, est corruptio naturae, & per generationem traducta: peccata autem irascibilis sunt magis naturalia, & magis traducuntur a parentibus in filios quam peccata concupiscibilis, ut Phil. dicit in 7. Ethic. ergo irascibilis est magis corrupta, quam concupiscibilis.

¶ 5 Præ. Corruptio in nobis prouenit ex peccato primi parentis: sed peccatum primi parentis fuit superbia siue elatio q̄ est in irascibili. ergo & in nobis est irascibilis magis corrupta, quam concupiscibilis.

SED CONTRA, ubi est maior turpitudine, ibi est maior corruptio & infectio; sed secundum Philo. in 8. Ethic. turpior est incontinens concupiscētie, quam incontinens irae, ergo concupiscibilis est magis corrupta, & infecta quam irascibilis.

¶ 2 Præ. Ibi sumus magis corrupti, ubi difficilius resistimus: sed difficilius est repugnare contra uoluptatem quae ad concupiscibilem pertinet, quam contra iram, ut patet per Philo. in 2. Eth. ergo in concupiscibili sumus magis corrupti, quam in irascibili.

RESPON. Dicendū, quod corruptio & infectio peccati originalis hoc modo differunt, quod infectio pertinet ad culpam, corruptio ad penā. Culpā aut originalis dupliciter esse dicitur in aliqua potentia aīe, uno modo, essentialiter: alio modo causaliter. Essentialiter quidem est, vel in ipsa essentia aīe, vel in parte intellectiua ubi erat originalis iustitia, q̄ per peccatum originale priuatur. Causaliter autem est in illis potentijs, quae attingunt actum generationis humanae, per quam originale peccatum traducit, quem quidem attingit uis generatiua, sicut ipsum exequēs, uis concupiscibilis, sicut ipsum imperā rōnem delectationis, sensus tactus sicut delectationē percipiens, & iō ista infectio attribuitur inter sensus tactui, inter appetitui concupiscibili, inter oēs potentias aīe, generatiuae, quae dicitur infecta & corrupta. Corruptio autem aīa de qua loquimur, consideranda est ad modū corruptionis corporalis. Quae quidem contingit ex hoc, quod remoto continente singulae partes contrariae redunt in id quod eis conuenit secundum naturam, & sic fit corporis dissolutio. Similiter remota originali iustitia, per quam rō inferiores vires continebat in statu innocentie oīno sibi subiectas, vires inferiores singulae tendunt in id, quod est in eis proprium. scō cupiscibilis in delectationem, irascibilis in irā & alia hmōi. unde Philo. in 1. Eth. comparat huiusmodi partes aīa partibus corporis dissolutis. Sicut autem corruptio corporalis non dicitur esse in anima, quare cedente corpore dissoluitur, sed in corpore dissoluto: ita huiusmodi corruptio est in uiribus sensui-

Quaest. dist. S. Tho. MMM 2 uis,

nis, in quantum continentia rationis privatae in diuersa feruntur, non autem in ipsa ratione, quasi quatenus, & ipsa propria perfectione privata separata a Deo, & ideo quanto aliqua inferiorum virtutum magis elongata a ratione, tanto magis est corrupta, & ideo cum irascibilis sit magis rationi propinqua quasi aliquid rationis in suo motu participans secundum Philosophum in 7. Eth. minus erit corrupta irascibilis quam concupiscibilis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quamuis omnes potentiae in essentia animae radiceantur, tamen quaedam per prius fluunt ab essentia animae quam aliae, & ad causam originalem diuersam habitudinem habent, & sic non similiter est in omnibus corruptio & infectio originalis peccati.

AD II. Dicendum, quod ex hoc ipso quod motus rationis magis participatur in irascibili, peccata irascibilis sunt grauiora: sed peccata concupiscibilis turpiora. Ipsa enim discretio rationis culpam auget, si autem ignorantia culpam alleviat. Recessus autem a ratione in qua tota dignitas humana consistit ad turpitudinem praeuenit, unde ex hoc ipso patet, quod concupiscibilis est magis corrupta, ut pote longius a ratione discedens.

AD III. Dicendum, quod motus irascibilis & concupiscibilis dupliciter potest considerari. scilicet in appetendo, & in exequendo. In appetendo quidem magis est subitus motus concupiscibilis quam irascibilis, quia irascibilis mouetur quasi deliberando & conferendo uindictam intentam ad iniuriam receptam quasi syllogizans, ut dicitur in 7. Eth. sed concupiscibilis ad solam apprehensionem delectabilis mouetur ad fruitionem delectabilis, ut ibi dicitur: sed exequendo motus irascibilis est magis subitus quam concupiscibilis; quia irascibilis cum quadam fiducia & fortitudine agit, concupiscibilis uero cum quadam mollicie insidiosis tendit ad propositum adipiscendum. Unde dicit Philosophus in 7. Eth. quod iracundus non est infidiator: sed manifestus. Concupiscentia uero insidiat, & inducit uersum Homerum, qui dixit, Venerem esse dolosa, & eius corrigiam uariam, significans deceptionem, quia Venus furat intellectum est multum sapientis.

AD IIII. dicendum, quod aliquid dicitur esse naturale dupliciter. Vel quantum ad naturam speciei: vel quantum ad naturam individui. Quantum autem ad naturam speciei peccata concupiscibilis sunt magis naturalia quam peccata irascibilis. Unde Philosophus dicit in 2. Ethic. quod uoluptas ex parte omnibus nobis committitur quasi contemporanea uita: sed quantum ad naturam individui sunt magis naturalia peccata irascibilis, & hoc ideo: quia si consideretur motus appetitus sensibilis ex parte animae, concupiscibilis naturalius tendit in suum obiectum, ut pote magis naturale & conueniens secundum seipsum: est enim cibi & potus & aliorum huiusmodi per quae natura conseruatur: sed si consideretur huiusmodi motus ex parte corporis, maior transmutatio & commotio corporalis complexionis fit ex motu irascibili concupiscentiae, communiter & proportionaliter loquendo, & ideo complexio corporalis in qua plerumque filii parentibus simulantur, plus facit ad dominium irae quam ad dominium concupiscentiae, & pro hoc in peccatis irae magis imitantur filii parentes, quam in peccatis concupiscentiae: quod non est ex parte animae refertur ad speciem: sed quod est ex determinata completionem corporis pertinet magis ad individuum. Originale autem peccatum est peccatum totius humanae naturae. Unde patet quod ratio non sequitur.

AD V. Dicendum, quod in nobis contrario ordine corruptio accidit & in Adam: quia in Adamae corruptio corpus, & persona naturam, in nobis autem

est e conuerso. Unde quamuis peccatum Adam prius pertinuerit ad irascibile, tamen in nobis corruptio magis pertinet ad concupiscibilem.

ARTICVS VII.

Vtrum sensualitas in hac uita curari ualeat a praedicta corruptione.

SEPTIMO quaeritur, utrum sensualitas in hac uita curari possit a corruptione praedicta. & videtur quod sic: quia praedicta corruptio uocatur fomes. dicitur autem de beata Virgine, quod in hac uita fuit totaliter a fomite liberata, praecipue post conceptionem filij Dei, ergo sensualitas in hac uita est curabilis.

¶ 2. Praet. Omne illud, quod obedit rationi, est susceptum rectitudinis rationis: sed uires sensualitatis, irascibilis & concupiscibilis obediunt rationi, ut ex dictis patet, ergo sensualitas est receptiva rectitudinis rationis, & ita potest a contraria corruptione curari.

¶ 3. Praet. Virtus opponitur peccato: sed in sensualitate potest esse uirtus, ut n. phil. dicit in 3. Eth. temperantia, & fortitudo sunt irrationabilia partium, ergo sensualitas in hac uita potest curari a corruptione peccati.

¶ 4. Praet. Ad corruptionem sensualitatis pertinet, quod ex ea motus inordinati procedant, qui sunt concupiscentiae prauae: sed temperantia non habet huiusmodi concupiscentias in quo differat a temperantia, ut qui eas habet, sed non sequitur, ut patet in 2. Eth. ergo sensualitas in hac uita potest totaliter curari.

¶ 5. Praet. Si corruptio ista est incurabilis, aut ex parte curantis, aut ex parte medicine, aut ex parte morbi, aut ex parte naturae sanandae: sed non ex parte curantis, scilicet Dei, quia omnipotens est: nec ex parte medicine, quia dicitur Ro. 5. donum Christi est uirtus, quam peccatum Adae, quod corruptio huiusmodi inducit, nec ex parte morbi, quia est contra naturam, cum in natura insituta non fuerit: nec ex parte naturae, ut ille n. esset hanc infirmitatem remouens, sed ex ea sit homo pronus ad malum & tardus ad bonum, ergo sensualitas in hac uita est curabilis.

SED CONTRA, Necessitas peccandi saltem uenialiter, consequitur necessitatem moriendi: sed in hac uita necessitas non moriendi non tollitur, ergo nec necessitas peccandi uenialiter, & sic nec corruptio sensualitatis ex qua praedicta necessitas uenit.

¶ 2. Praet. Si sensualitas curabilis esset in hac uita maxime per sacramenta ecclesiae curaretur, quae sunt medicinae spirituales: sed adhuc post sacramenta suscepta manet, ut experimento patet, ergo sensualitas non est curabilis in hac uita.

RESPON. Dicendum, quod sensualitas in hac uita curari non potest, nisi per miraculum. Cuius est: quia id, quod est naturale, non potest peruenire nisi a uirtute supernaturali, huiusmodi autem corruptio quae partes animae dicuntur corruptae, sequitur quod dicitur inclinationem naturae. Quod autem huiusmodi in primo statu constitutum fuit, ut ratio totaliter inferiores uires conseruet & anima corpus, non fuit ex uirtute principium naturalium, sed ex uirtute originalis iustitiae ex diuina liberalitate superaddita. Quae quidem iustitia per peccatum sublata, huiusmodi rediit ad statum conuenientem sibi per propria sua naturalia. Unde dicit Dionysius in ecclesiastica Hierarchia: quod per peccatum natura humana ad principium consequens motum ducta est sine. Sic ergo naturaliter huiusmodi non potest ad immortalitatem reduci nisi miraculose, ita naturaliter concupiscibilis rediit in delectabile, & irascibilis in arduum praeter ordinem rationis. Unde, quod ista corruptio non ualeat, nisi per eum miraculose uirtute supernaturali faciente.

o. 6. in prin. 10. 5.

o. 1. am. 10.

K

A